Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26856
Copyright: Admont, Benediktinerstift

qui querit quem devoret. R. Exaltare
super celos deus. alleluia. alleluia. Et super omnem terram.
Dictus est leo diabolus, leo feritate non
virtute. Apostolus quippe Petrus ait.
Vigilare nos oportet adversus temp-
tationes, quia adversarius noster
diabolus circuit querens quem devo-
ret. Sed quoniam dixit circuit. Sicut leo
rugiens circuit querens quem devoret.
Quis non incurreret in dentibus leonis hu-
ius, nisi vicisset leo de tribu iuda.
Contra leonem leo, contra lupum agnus.
R. Exaltare domine. Exultavit
diabolus quando mortuus est christus. et in
ipsa morte christi est diabolus victus,
tamquam in muscipula escam accepit.
Gaudebat ad mortem, quasi prepositus
mortis. A quo gaudebat inde illi ten-
sa est muscipula diaboli crux domini, esca
qua caperetur mors domini. Et ecce surrex-
it dominus noster ihesus christus. R. Ascendens.
Ubi est mors que pependit in ligno.
Ubi est insultatio iudeorum. Ubi est typus
et superbia caput ante crucem agitantium.
et dicentium si filius dei est descendat
de cruce. Ecce plus fecit, quam illi in-
sultando exigebant. Plus est enim de se-
pulchro resurgere, quam de ligno descen-
dere. Iam vero quanta gloria est quod ascendit
in celum. quod sedet ad dexteram dei
patris. sed hoc oculis non videmus. quia nec
pendentem in ligno vidimus, totum
hoc fide tenemus. oculis cordis

intuemur. R. Tempus est. Hodie
sicut audistis fratres dominus ihesus christus ascendit
in celum, ascendat cum illo et cor nostrum.
Audiamus apostolum dicentem. Si conresur-
rexistis cum christo. que sursum sunt queri-
te. ubi christus est in dextera dei sedens.
que sursum sunt sapite non que super terram.
Sicut enim ille nec recessit a nobis. sic
et nos omnes cum illo iam sumus, quamvis non-
dum in corpore nostro factum sit quod promittitur nobis. R. Nimis exaltatus es
alleluia. alleluia. Super omnes deos. Ad cant.
Alleluia. alleluia. alleluia. alleluia. alleluia. alleluia.
alleluia. alleluia. alleluia. alleluia. Secundum Iohannem.
In illo tempore. Dixit ihesus discipulis suis.
Cum venerit paraclytus quem
ego mittam vobis a patre spi-
ritum veritatis qui a patre procedit, ille
testimonium perhibebit de me. Et reliqua.
Omelia. v. Bede presbiteri.
Ex multis sancti evangelii
locis invenimus. quia discipu-
li ante adventum spiritus sancti minus capaces
erant ad intelligendum archana divine
sublimitatis. minus fortes ad toleranda
adversa humane pravitatis, sed eis ad-
veniente spiritu cum augmento divine agni-
tionis. data est etiam constantia vincen-
de humane persecutionis, unde illis do-
minica promissione nunc dicitur. Cum
venerit paraclytus quem ego mittam vo-
bis a patre spiritum veritatis qui a patre
procedit ille testimonium perhibebit de